

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Menippus sive dialogorum satyricorum centuria inanitatum nostratum speculum**

**Andreä, Johann Valentin**

**Cosmopoli [i.e. Straßburg], 1618**

3. Polemica

[urn:nbn:de:bsz:31-107424](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-107424)

## 3. POLEMICA.

*A. S* Atis librorum. *B.* utinam & emptorum!  
*A.* Vestra culpa est, qui nos titulorum varietate obruitis. *B.* Ut ingenia sunt varia, ita ferendum iis est. *A.* Atqui nihil hic meo ingenio. *B.* Prophanum oportet esse. En meditationes, preces, soliloquia. *A.* Superstiosorum sunt, enthusiastarum, muliercularum. *B.* At Christianismi hic epitome. *A.* Operosi illius, & sub quo vivere nemo velit? apage. *B.* Heraclitumne vis, an Democritum? *A.* Hunc defendendum, illum ridendum? *B.* Quid vis tandem? *A.* Primum armaturam aliquam Theologicam, qua adversarios simul omnes impugnem & depugnem. *B.* Sane si chartaceam velis, disquire Polemicos meos; sin veram, una pietate victus eris. *A.* Stupere me vis, ego verbosam quero victoriam. *B.* Quam nunquam admittet loquacissimus Sathan. Sed an præter id aliud quæris? *A.* Normam concionum perfectissimam. *B.* Quam suggeret Spiritus devotè advocatus. *A.* Afflatum tu expectabis? *B.* Non equidem Enthusiasmum, sed sacri Spiritus cohabitacionem, tibi vero pro spiritu memoria est. *A.* Quid ita? *B.* Quia quantum ediscis, tantum ais divini habere mandari ad homines. *A.* Meritò; nam illi scriptores dictatorem habuerunt spiritum. *B.* Tu verò quin ipse precibus aliquid à Spiritu impetras. *A.* Non is mihi donorum gradus. *B.* Itaque recitator es. *A.* Imitator malim, *B.* At ego lectorem

em te vellem,  
 rum. *A.* Id q  
 societarum d  
 conveniebat, u  
 narum procura  
 veris eandem  
 tantam. *A.* T  
 mones, & do  
 pelabis sum p  
 rum; nisi qu  
 omnes velle n  
 tem; dein sa  
 cum Deo, cui  
 tummercii.

4. M

*A.* Q Vid io  
*A.* Pie  
 pestilens. *A.*  
 hac vox comb  
 vero reum m  
 nebulo est. *A.*  
 deplanissimè  
 rum omni un  
 nam terra nū  
 recentissimè  
 que scriptu  
 pum cur vo  
 verit rerum  
 cana imperi  
 certe sua in  
 nequitiatu

rem te vellem, quod tutius foret, & magis ingenuum. *A.* Id quidem cuius promptum foret, necliterarum & sumptuum indigum. *B.* Sanè id conveniebat, ut tot sumptibus ad salutem animarum procurandam habilior redderis, vel fateris eandem nobiscum in rebus sacris ignorantiam. *A.* Tunc præclaras sophismatum solutiones, & doctorum laudabilem imitationem appellabis sumptuosam ignorantiam? *B.* Vix dixerim; nisi quod mirum valde est, vos verbis omnes velle refutare, operibus allicere neminem; dein sacra omnia ex præscripto recitare, cum Deo, cuius nomine profertis, nihil habere commercii.

## 4. MACCHIAVELLVS.

**Q** Vid focum instruis? *B.* Sic iubet pietas. *A.* Pietas ignea? *B.* Perdendus est homo pestilens. *A.* Quibus ille, an Aristoteles? *B.* Et hæc vox comburenda foret. *A.* Fac ut lubet, tu vero reum mihi monstra. *B.* Florentinus ille nebulo est. *A.* Vah! Macchiavellus, homo miser & planissimè fatuus. *B.* Atqui hic versutissimorum omnium ingeniorum pater est, quem utinam terra nūquam tulisset, aut orcus suscepisset recentissimè natum. *A.* Itane intolerabilia sunt quæ scripsit ineptus? *B.* Vt quæ maxime; sed ineptum cur vocas? *A.* Quia quascunque animadvertit rerum publicarum noxias maximas, & arcana imperiorum, ausus est propalare, magna certe sua infamia & odio. *B.* Quid? nonne ille nequitiarum autor & consultor est? *A.* Nequa-